

ut etiam prætereuntes, maxime si clausæ fenestræ aurem
admovent, exaudierint. Præterea *Fernelius lib. 5. c. 12. de
partic. morb.* tantam hujus mali vim esse ait, ut sæpè
animadversa sit thoracis vicinas costas effregisse: sæpè &
eas, quæ supra mammæ sunt, de propria sede depulisse:
sæpè etiam arteriam foras dilatasse in aneuristica pu-
gni magnitudine, in quo & tactu & visu conspicua fuit
pulsatio.

RATIONE SUBJECTI: Affectus essentialis
noscitur, si palpitatione fuerit vel continua, vel frequentior
& vehementior; Sympathicus ex contrariis, aliarumque
partium affectarum signis propriis innotescit, & imprimis
affectio hypochondriaca, mensium & hæmorrhoidum
suppressio latere non possunt. Si per consensum ventricu-
li fiat, nausea, inappetentia, humorum pessimorum vomit-
us, stomachi dolor patefacit. Molesta circa pancreas
& lienem arteriarum pulsatio, materiam in mesaraicis,
aut in liene retorridæ bilis fomitem delitescere indicio
est. Ita & de reliquis censendum.

RATIONE CAUSARUM: Earum varie-
tatem morbus & experientia docent. Si palpitatione fiat à
flatu vel vapore, subito oritur, & à levi causa excitatur,
citiùs quoque ac faciliùs, flatu discusso, evanescit, ac vix
ultra horæ spacium durat; respiratio adest difficilis, sæ-
pius accedunt tremor ingens & oculorum tenebræ, non-
nunquam tinnitus aurium, non rarò etiam in parte aliqua
dolor, sponte sua cessans, percipitur. Qualis autem sit
vapor vel flatus, ex humorum qualitate per sua signa
facile cognoscitur. Si ab humore originem trahat pal-
pitatione, non ita repentina fit accessio, diutiusque affligit,
quàm quando à vapore ortum habet. Qualitas humo-
ris similiter ex signis humorum in corpore retundantium
haut difficulter cognoscitur. Aqua in pericardio ab-
undans, si palpitationem excitat, ægri eeu hecticæ
macie consumuntur, semperque videtur ipsis cor in
aqua quasi natante & suffocari. Si humores & vapores
sunt